

Respondet ingenio corpus, aptum  
membris, proceritate formosum, ro-  
bore validum. Idem, qui Gallis, color;  
tametsi corrumpunt illum unguine, &  
oleo putri, quo se perungunt; necnon  
pigmentis variis, quibus sibi pulcri,  
nobis ridiculi, videntur. Alios cernas  
naso cæruleo, genis vero & superciliis  
atratis: alii frontem, nasum, & genas,  
lineis verficoloribus discriminant: to-  
tidem larvas intueri te putes. Ejusmodi  
coloribus credunt se hostibus esse ter-  
ribiles; suum pariter in acie metum,  
quasi velo, tegi: demum pellem ip-  
sam corporis indurari, ad vim hiberni  
frigoris facilius tolerandam. Præter  
istos colores induci pro cujusque libi-  
dine ac deleri solitos, non pauci sta-  
biles ac perpetuas avium aut animalium,  
putà serpentis, aquilæ, bufonis, imagi-